Noverint universi quod nos Beatrix Dei gratia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde. Attendentes quod dictum monasterium habet satis prope civitatem Gerunde Joueria vocata de More-
eribio cum suis terris honoribus et pertinenciis. Attendentes etiam et considerantes sumptibus qui pro labore ipsarum terrarum et honorum et alia racione ipsius iouerie fiunt
necessario et fieri habent, melius utilius et fructuosius est ipsi monasterio multiplici racione dictam iouerie cum suis terris honoribus et pertinenciis stabilire seu ad emphi-
teosim concedere sub certis censibus quam ad propriam laboracionem retinere, vel eciam ipsam ad laborandum concedere. Habitis super predictis et quolibet predictorum dili-
genti et frequenti consilio deliberacione et tractatu cum conventu nostri monasterii propterea more solito convocato et congregato. Idcirco ipsius monasterii utilitate attenta de
consensu voluntate et consilio dicti nostri conventus, et etiam de auctoritate et expresso assensu Reverendi patris in Christo domini Gastonis miseracione divina episcopi Gerun-
den, gratis et ex certa sciencia, per nos et succedentes nobis in dicto monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accapitum vobis Arnaldo de Torrete ha-
bitatori Gerunde et vestris perpetuo. Tres fexias terre prout sunt signate et terminate, ex illo campo vocato Guineu, qui est de pertinenciis dicte iouerie. Que tres fexie
affrontantur ab oriente parti in campo de Furno, et partim in stabilimento facto Petro Cauder (Capeller), mediante carraria nova, a meridie in residuo dicti campi Guineu, quod
stabilimus Raymundo de Cabrana, ab occidente in stabilimentis campi Cornegi, mediante carraria nova que ibi est. A circio in fexia stabiliti Bernardo Tapies. Predictas si-
quidem fexias prout superius terminatur et affrontatur cum omnibus integritatibus et proprietatibus suis introitibus exitibus et pertinenciis suis universis et singulis et cum omnibus me-
lioramentis et augmentis ibi factis et deinceps faciendis vobis dicto Arnaldo de Torrete et vestris perpetuo damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accapitum. Salvo tamen iure et
directo dominio dicti monasterii tam in terciis laudismiis foriscapiis empcionibus faciendis quam etiam aliis que ad directum dominium pertinent nostrum. Dabitis preterea nos et vestri no-
bis et nostris succedentibus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo sanctorum Petri et Felicis sex migerias frumenti boni pulcri sicci et nitidi ad mensuram Geru-
de sine ipsas deffendentes in foro, allatas vestris sumptibus in dicto monasterio. Et sic sub dictis modis et condicionibus constituimus nos dictas fexias terre nos vestro vestrorumque no-
mine possidere donec earundem rerum possessionem tam de iure quam de facto adeptus fueritis corporalem, quam intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et vestris
damus et conferimus potestatem ad faciendum inde omnes vestras voluntates retentis tamen condicionibus supradictis. Et sic per nos et nostros succedentes in dicto monasterio promittimus
hanc concessionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere tenere et servare, et predictas fexias cum suis iuribus nos et nostros semper facere habere tenere, et eciam deffen-
dere in pace contra cunctas personas et inde vobis et vestris firmiter teneri de evictione et omni dampno et interesse litis et extra. Et pro predictis attendendis et comple-
ndis obligamus vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presencia et futura. Pro huiusmodi vero concessione habuimus et recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii
trecentos quadraginta quinque solidos Barchinonenses. Renunciando excepcioni pecunie non numerate et non recepte et doli. Et ego dictus Arnaldus de Torrete laudans et concedens
omnia et singula supradicta promitto vobis dicte domine abbatisse et succedentibus vobis in dicto monasterio dictum censum sex migeriarum frumenti annuatim solvere termino supra-
dicto allatas ut est dictum. Et pro predictis attendendis obligo vobis et vestris dictas fexias terre cum omnibus suis melioramentis et augmentis ibi factis et deinceps faciendis. Quod
fuit actum et tam a dicta venerabili abbatissa quam dicto Arnaldo de Torrete firmatum et laudatum sexto idus octobris anno domini millesimo CCC XXX tercio. Presentibus testibus
venerabili Bernardo de Lacu presbitero de capitulo et Petro de Villarino clerico et Arnaldo de Torrete Gerunde. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito co-
gregatum in capitulo dicti monasterii laudata concessa et approbata et eciam postea predicta omnia per dictum Reverendum dominum episcopum Gerundensem laudata auctorizata et appro-
bata IIII idus octobris anno domini predicto. Presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palaciolo thesaurario et Bernardo de Lacu presbitero de capitulo Gerundensi.
Et similiter Arnaldus de Torrete baiulus dicti monasterii predicta firmavit pro baiulo coram testibus supradictis.

Signum Petri Massanen notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Toylano notario Gerunde publico qui hec scribi fecit et clausit.

Nº 47 CTORS f. 67

10-10-1333

Nº 665

[illegible] [illegible] de Montirixi

T. 410 X 370

Stablment de [illegible] de per[illegible] de la [illegible] [illegible] torre [illegible] 6 [illegible] [illegible] [illegible] terme [illegible] son pare de la [illegible] [illegible] [illegible] de [illegible] [illegible]

AC 35 8 del ple quint de Montirixi

694